



## PRAESSENTIA GLOBALIA EXSISTENTIALIA PERICULA IN CONTEXTU CONFERENTIAE GER 2020

Matúš PREKOP



PRAEFATIO

Globalisatio processus amplus omnes partes vitae societatis attingens est, saepe cum consilio culturae globalis uniformis in sensu lato formandi.

Argumentum de quaestionibus globalibus his temporibus disputatissimum est. Graves quaestiones globales saepe mutationibus in natura circumiecta cohaerent. His quaestionibus gravitas magna additur, semper maius momentum ad rerum morumque publicarum directionem afferunt, vim inferunt actionibus ad societatem remque oeconomicam pertinentibus ac distributioni pensionis nationalis pro senibus inter rationem socialem et rationem ad naturam circumiectam pertinentem, dum attente re publica civili observantur.

Humanitatem hodiernam praesertim quaestiones inter se coniunctae vexant. Progressus societatis humanae sustinabilis consensum non solum inter activitates ad rem socialem oeconomicamque pertinentes et naturam circumiectam, in qua vicem suam explet, postulat, sed necesse est etiam relationes in sensu finium lato considerare, immo in conspectu globali. Quaestiones his temporibus globales praesertim in contextibus activitatum et directionum studiorum scientiarum, artis et technologiae, rerum naturalium, rerum socialium et oeconomicarum, rerum publicarum, rerum ad salutem et populum pertinentium, ethicae, morum, culturae intellegere necesse est.

Pericula existentialia globalia crescenti in modo hominis vitam intrant et in modo prius non cognito existientiae eius imminet. Unde periculorum existentialium scrutationis causa exhibitur ad complura laboratoria et proposita constituenda. Exempli gratia *Future of Humanity Institute* – Institutum Temporum Futurorum Humanitatis in Universitate Oxoniensi ponatur, quod anno MMV institutum est, cuius rector philosophus ille Nick Bostrom, qui transhumanitatis philosophiae praeest, vel *The Cambridge Project for Existential Risks* – Propositum Cantabrigense de Periculis Existentialibus, quod fundamenta iecit pro creatione *Centre for the Study of Existential Risks* – Institutum pro Studio Periculorum Existentialium.

Primas activitates cum scrutatione periculorum globalium existentialium coniunctae in Slovacia sub tectum recepit *Slovenská spoločnosť pre životné prostredie*, quae a MMXI usque ad MMXX decem conferentiones „*Globálne existenciálne riziká*“ (Globalia pericula existentialia) composuit, quorum argumentum maximum transhumanismus et technologiae transhumanae, quibusconiunctae pericula globalia existentialia, fuit.

Argumentum de globalibus periculis existentialibus scrutandis coniunctum est cum progressu philosophiae transhumanismi, quam huic rei praestantes Nick Bostrom, James Hughes, Milan Čirkovič, Ray Kurzweil, Eliezer Yudkowsky, Robin Hanson, Martin Rees, Calum Chace, Václav Smil, et alii multi laborant exiguntque.



Progressus transhumanismi cum propositis et immo obscuris periculis coniunctus est, quae ad exemplum pertinent ad nanotechnologias – *Scaenarium mucii glauci* – *Grey Goo Scenario*, quod aut amissionem auctoritatis hominum super nanorobota cum atomis vel moleculis laborantia, aut inventionem intelligentiae superhumanae praedicit.

Pericula transhumanismi Nick Bostrom diligenter elaboravit, qui analytice scenariorum possibilium extinctionis humanae proposuit, causa cuius evasio technologiaram transhumanismi ex auctoritate humana esset.

Inter praecipua pericula ad transhumanismum pertinentia numerantur bellum cum armis chemicis et biologicis, nanobellum, bellum atomicum, bellum in universo, intelligentia artificialis, superintelligentia, singularitas, squalor nanotechnologicus, scaenarium mucii glauci, tractationes genorum et alia.

Pericula autem globalia existentionalia cum variis rebus imminentibus coniuncta sunt, non solum cum iis, quae ad technologias transhumanas pertinent. Minae pro existentionia humana atque economica vel res publicae inveteratae esse possunt, ac crisis economica vel crisis rei publicae male cohibita. Secundum Nick Bostrom pericula globalia existentionalia ea sunt, quae existentioniae humanae graviter in toto orbe terrarum imminet. Exempli gratia calamitates globales in natura ponantur ut explosiones vulcanorum, terraemotus, pandemiae, calamitates atomicae in toto orbe terrarum, dein tyrannides, experimenta scientiae incohibita, mutationes temporum, minae ex universo provenientes vel collapsus oeconomicus.

Procedens perduransque crisis globalis ac numerus periculorum globalium, quae fines rei publicae ipsius transgrediuntur, crescens consecutiones adversas, quae in scenario interitus humanitatis adverso vel extinctionis homini finem habere potest, conficiunt.

Scrutatio periculorum globalium existentionalium sine dubio et in Slovacia gravis facta est, quia internationales consecutiones periculorum existentionalium globales crescenti in modo et ad vitam cottidianam Slovaciae incolarum magnum momentum afferunt.

Propositum conferentiae „*Global existential risks 2020*“ fuit idoneam facultatem praebere ad forum publicum studiorum doctorumque informandum, ad experientias commutandas et ad eventus novos in hoc argumento conferendos.

## DOMICILIUM AUCTORIS

Mgr. Matúš PREKOP

Premonštrátske gymnázium v Košiciach, Kováčska 28, 040 01 Košice, Slovenská republika

e-mail: prekopmatus@gmail.com